



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Apodixes, Sive Demonstrationes Tres Horrendarvm Blasphemiarvm Ecclesiae A Calvino Reformatae, Circa tres primos Symboli Catholici Articulos**

**Bosendorf, Hermann**

**Monasterii VWestphaliae, 1608**

Capvt III. Reiectio subterfugiorum prædicanticorum.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-35415**



## CAPVT III.

*Reiectio subterfugiorum prædicantium.*

1. Effugiū.

**A**D probationem primam huius secundi argumenti respōdet prædicans §. 8. posse dici Christum impœnites *sufficienter saluare, tum propter pretium obedientia pro nobis præstita, tum propter infinitam eius potestatem efficiendi quidlibet, tum propter gratiosam voluntatem.* Sed nequaquam hæc à Catholicis mutuata ad Calvinum tuendum satisfaciunt. mitto enim iam quod paulo ante excussi, in homine Christo, non reperiri dignitatem sufficientem ad redimendos nos ex sententia Caluini & Prædicantis: Illud vrgeo, veri Iesu & mundi saluatoris esse, omnibus, peccatoribus æquè ac iustis, reprobis non minus quam prædestinatis gratiam sufficientem hoc in mundo offerre, qua adiuti possint, si velint, operari bona, & defugere malum, secundum illud 2. Timoth. 2. *hoc enim bonum & acceptum est coram Saluatore nostro Deo, qui omnes homines (bonos & malos, Græcos & Barbaros) vult saluos fieri, stans ad ostium Apoc. 3. & pulsans, vt si quis audierit & aperuerit, intret & cœnet cum illo, non volens aliquos perire, sed omnes ad pœnitentiam conuerti.* 2. Pet. 3. Atqui id non facit Iesus Calvinisticus, qui Euclione auarior, nulla vocantis ad pœnitentiam gratiæ dona, nulla iustificantia pœnitentem Charismata

Verus Iesus  
venit vt sal  
uet omnes  
peccatores.



mata Spiritus sancti impertit, si prævideat aliquem cum Iuda Iscariote, alijsq; qui ad extremum lapsi sunt, ea decocturum. Prodidit hoc Christi sui decretum Calvin. 3. Instit. cap. 24. §. 13. *Cur ergo gratiam illis (prædestinatis) largiendo, hos (reprobos) pratermittit Calvinianus Antichristus? De alijs rationem reddit (Caluino) Lucas, quia ad vitam sunt ordinati: de alijs ergo quid sentiemus, nisi quia sunt vasa iræ in cõtumeliam?* Vides Prædicans quid in responsione tua declinetur? Proprius & formalis actus siue effectus voluntatis fuit in vero Iesu, quo voluit omnium hominum salutem, non eorum tantum, qui re ipsa erant saluandi, sed etiam eorum, qui sua culpa erant damnandi, quibus benignè sua ex parte etiam media gratiamq; dum viuunt, impertit, iuuatque subinde, vt opera bona faciant multa, deque peccatis humiliantur & conterantur cum Achab, esto in contritione illa gratiaque non perseuerent. Non hæc tuus facit IESVS Calvinisticus, vt propterea IESVS non sit. Quod autem Francisci Puccij blasphemum dogma pro errore tertio Iesuitis tribuis, in eo quam sis impudens calumniator, & mendax omnibus intelligentibus ostendis. Si scire exoptas, quid de isthoc homine Iesuitæ senserint, vide præter alios Nicolaum Serarium ipsum cõfutantem.

Christus  
etiam eos  
qui pereunt  
cupit sal-  
uos.

L a Ad



Ad secundum non tam respondet §. 9. 10. 11. & seq. vsq; ad 19. quam cōuulsis sanę mentis repagulis furit. Exclamat enim admodum tragicę & tauricę §. 9. *Si hæc antithesis extat in Caluino* (ille enim agnus est nō qui tollit, &c.)

**Prædicans**  
furit & le-  
sitas ne-  
gat esse p-  
bos politi-  
cè.

*continuo manus dabimus, hoc est, illum magnę blasphemie reum fatebimur; si vero nusquam extat mendaces, calumniatores habeantur Iesuitæ, & simul ad palinodiam adigantur. Nam nihil hic durius in ipsos statui postulabimus, quod tamen ex lege talionis facere possemus. Et §. 10. Certè si saltem politicè probi essent Iesuitæ, tam luculentum mendacium in ruborem ipsi daret. Quid agis mi Prædicans? Eho quid a deo ferocis? quid tam impotenter in Iesuitarum famam grassaris? Ne ita debaccheris, quasi furiosum Orestem nobis velis iterū in scenam producere. Considera te ducem esse Verbi & superattendentem. Cedo, quid habes, in quo Iesuitæ tibi peccârunt? quid palinodia, quid Talionis lege, quid viro politicè improbo dignum in te admiserunt? Te appello Prædicans, confer pedi pedem: age quid est, cur omnem tuam bilem Calvinisticam & artem calumniandi in Iesuitas effundas? Nego vsquam ab ijs scriptum, nego vel vnico iota insinuatum in thésibus antithesin illam verbatim è Caluini scriptis desumptam esse. Quid contra hæc blateras? doce vbi asseruerint, hæc Caluini esse verba, aut si docere id non potes, ad eandem palinodiam, ad subeundam talionem,*

**Prædicans**  
se ipse ad  
palinodiã  
cõdemnat.

**Vorstius**  
politicè  
non pbus.

*ad*



ad improbi hominis infamiam sustinendam (quæ omnia intentas Iesuitis) te ipsum tuo ore condemna. Expresserunt totam antithesin caractere, quo in omnibus thesibus verba ipsius authoris alia, fuerunt excusa: subiecerunt præmissæ antithesi testimonia Caluini, idque typis diuersi, vt cuius in promptu esset discernere Calvinistica oracula, à verbis authoris; locum in margine ex Caluini libris ad suam antithesin ascripserunt nullum. Vnde igitur hoc tuum delirium, vt vocifereris Iesuitas hanc antithesin Caluino, quasi in eo conceptis verbis posita sit, tribuisse? Collige non nihil animum tuum, & quibus oculis §. 76. disp. 2. calumniam illis struere conatus es ex diuersitate typorum, iisdem hic aspice dissimilitudinem characterum.

Sed ad rem. Tota antithesis in 9. thesi posita ostendit, Iesum Calvinistarum non saluare, nec iustificare peccatores verè & re ipsa delendo, abluendo, tollendo ab ijs peccatum, sed tantum non imputando illud ad mortem & damnationem, propter iustitiam Christi fide apprehensam, qua hæc inis quasi pellibus foetidus peccator obtegatur. Nonne hæc est vna omnium tuorum Calvinistarum & tua ipsius doctrina in Enchiridio controu. parte 4. de Iustificatione propos. II. Audisti suprâ ex tuo Pareo, *peccata in nobis non tolluntur: Ex VVittakero, iustitiam delicti occultationem esse: Audi*

Peccata nō  
tolluntur, sed te-  
gi Calui-  
nistis.



iam catechismum Palatinum, qu. 36. *Christus mediator sua innocentia & perfecta sanctitate nostra peccata tegit, ne in conspectum Dei veniant. Et q. 126. Remitte nobis debita nostra, id est, omnia peccata nostra, quæ in nobis etiam nunc hærent, propter Christi sanguinem ne imputes.* Ecce non tolli peccata, ait Pareus, sed tegi, explicant Heidelbergenes: Non deleri, ait Catechismus Palatinus, ut quæ etiam nunc hæreant, sed occultari indicat Wittakerus. Si verba antitheseos requirebas, en quam facilè ea apud tuos inuenire poteras, aut si tantæ lectionis non eras: ecce quã nullo negotio, & ea ipsa & alia lögè plura antitheta construere quibus ex phanatica tua tuorūq; hæresi, de iustitia imputatiua, peccatiq; in corpore nostro cõtinuata habitatione.

Nec moramur quod anxie laboras ex Calvino docere ipsum quãdoq; etiam his uti vocabulis, ut dicat tolli, deleri, abluì, &c. peccata; quia nouimus logodædalum & Sophistam illum veteratoriè in verbis ludere, & illudere populo. Neq; enim verè vult tolli ipsum peccatum, sed peccati reatum, & pœnam inferni. Sic enim in antidoto Conc. Trid. sess. 5. *Manet verè peccatum in nobis, neq; per baptismum, (Sacramentum à Christo institutum, utq; est signum inuisibilis gratiæ) extinguitur, sed quia deletur reatus (pœna ei condonatur) imputatione nullum est.* Idem & tu ipse non diffiteris §. II. volens *reatum eius aboleri, & prater cum regimen & impe-*



rium peccati, in mortali corpore extingui, licet aliquatenus in eodem habitare pergat. Et §. 13. Tantum abest, ais, ut Deus peccata non tollat, quia tegit, ut etiã tegendo tollat, hoc est reatum illorum cõdonando, seu pœnas cõmeritas auferendo. Secundum tua igitur etiam principia, manet in homine peccatum ipsum, sed cõdonantur ei pœnæ propter peccatum commertæ: Atqui aliud est peccatum siue culpa, aliud reatus siue peccati pœna. Ex peccato enim ut radice, nascitur reatus, & homo reus constituitur pœnæ peccato debitæ. At non ex condonata pœna consequitur illico abolitio ipsius culpæ. Cetera argumenta & parerga Prædicantis, tanquam pretiosi temporis dispendia fusius non comestabor.

Caluinistis  
nō peccatū  
sed pœna  
peccati re-  
mittitur &  
aufertur,

### De Calvinistarum Christo.

#### THESIS DECIMA.

CHRISTVM. Christus idem valet quod vinctus: puta in Regem, cuius regni non erit finis, Luc. 1. in Sacerdotem in æternum, secundū ordinem Melchisedech; Ps. 109. in Prophetam, in quo omnes thesauri sapientiæ & scientiæ Dei sunt absconditi, Coloss. 2. & super quē floris instar ascendentem de Iesseæ virga, requieverit spiritus Domini, Spiritus sapientiæ & intellectus, Spiritus consilij, & fortitudinis, Spiritus scientiæ & pietatis Esa. 11. Nihil minus, quàm talis Christus est Calvinianus. Rex ille est, sed cuius regni erit finis. 2. Instit. cap. 14. §. 3. temporale enim imperium ei à Patre mandatum est, donec facie ad faciem conspicua sit diuina eius Maiestas.



*Sacerdos ille est secundum ordinem Melchisedech; sed qui panem & vinum nunquam, ne quidem in nouissima cœna, post peractam consecrationem siue benedictionem obtulit. 4. Instit. cap. 18. §. 2. Colligunt Romanenses, inquit, panem & vinum fuisse præludium Missæ suæ; ac si inter Melchisedech & Christum similitudo esset in panis & vini oblatione, quod magis ieiunum ac friuolum est, quam vt refutatione egeat. *Propheta natus est; sed sine Sapientia, scientia & diuinitatis (magis coniuncta humanitati Christi; quam beatis in cœlo) visione. Palam est Caluino in cap. 2. Luc. 5. v. 40. & ca. 24. communem Christo ignorationem cum Angelis tribui. quare etiam ter & quater infans ille (in cap. 24. Matth. 36.) foret, qui se grauatim ignorantia subijceret; quam ne ipse quidem Dei filius nostri causa subire reuult, maxime cum ita ignorauerit vt disceret ipse ac erudiretur more hominum. Nicolaus Gallasius in lib. 2. Iren. cap. 49.**

THESIS VNDECIMA.

**Q***uid vero sub ferula Caluini didicit quod antè nescierit? Per multa. Nam quod quidam existimant (in cap. 9. Matth. v. 2.) Christum diuinitus conscium fuisse baiulantium fidei, quæ occultè intus latebat (Caluino) coactum videtur. Nihilq; absurdi est in cap. 21. Matth. v. 18. si dicamus secundum hominem speciem arboris fuisse illi incognitam; esto eam è folijs cognouisset,*



nouisset, non Salomon, vel Theophrastus tantum; sed etiam rusticulus aliquis à Iudæa. Ex nescientia hac interiore multiplices in verba Christi profluxere absurditates, ut sunt: responsio Christi ad Nathanaëlem in I. cap. Ioan. v. 48. quæ parum videtur appositæ: sermo Christi ad Nicodemum de regeneratione qui longè petitus & intempestiuus videtur Ioan. 3. Similitudines diuersæ, quibus ad illustrandas res utitur: illa enim similitudo cribrandi nõ omni ex parte quadrat in cap. 22. Luc. alia, qua vsus est, apud eundem Euangelistam cap. 16. dura est & longè petita. quin etiam paulo durior est Metaphora, dum salem nominat in cap. 9. Marci, quicquid falsum est. Nec, quam adhibet apud Matthæum, in cap. 22. Matth. videtur quadrare partitio; quia propriè loquendo, dum officio defungimur erga homines, obsequium hoc Deo impendimus. *Quantuscunq; sit veritatis magister vniuentus sapientissimus cœlestis patris; in Caluini schola Grammaticus est non bonus; Rhetor longè peior; sed omnium pessimus Dialecticus. probaturus namq; in cap. 9. Matth. vers. 5. se peccata remittere, paralytici curati in corpore exemplo, Caluino videtur parum solidè ratiocinari Christus. Occursurus calumniæ quod in Principe Demoniorum eijceret demonia, videtur, ait, in ca. 12. Matth. v. 25. parum solida esse refutatio. Infert Christus* An hæ citationes sint iustæ videat infra.

*Matth. 7. omnia ergo quaecunq; vultis vt faciant vobis homines. Superuacanea est, ait, illatio. Deniq; hoc esto è tripode Geneuensi oraculum: Memoria tenendum*



nendum est vulgo receptis prouerbijis, ita vsum esse Christum, vt tantum essent probabiles coniecturae, nō autem solidè probarent, in cap. 2. Matth. & Luc. 5. Videntur vt admirentur turbæ (Caluinianæ) super doctrina eius; cap. 7. Matth. vt stupeant in doctrina eius, quia in potestate erat sermo ipsius; Luc. 4. vt suspiciant verba duodennis in medio Doctorum? Luc. 2.

## CAPVT IV.

## Regnum Christi Caluinistici habere finem.

**T**Ria in thesi argumenta sunt perspicuè deducta, demonstratumq; est apodicticōs, Caluinistarum Christum esse a christon, & nō Christum pijs appromissum. Primum est; de vero Christo dictum est ab angelo Gabriele; *Verus Christus vnctus est in Regē æternum.* *His erit magnus & filius altissimi vocabitur, & dabit illi Dominus Deus sedem David Patris eius, & regnabit in domo Iacob in æternum, & regni eius non erit finis.* Luc. 1. quin ipse etiam de seipso Psal. 2. *Ego autem constitutus sum rex ab eo super Sion montem sanctum eius.* at hæc non quadrant in Christum caluinistarum, vt qui Rex non sit in æternum, aut si rex quidem sit æternus, à die tamen Iudicij extremi, rex futurus sit sine regno. Hæc suntio ex claris caluini verbis 2. Instit. c. 14. §. 3. clarissimè probata est. Ait enim: *Christo*  
tem.

Ratio.